

gnitate præditis. Hinc item est, quod civitas Romana tanto in pretio & existimatione habebatur, quodque aliarum regionum ac nationum principes viri magno eam emebant, uti apparet ex actis Apostolorum c. 28. 22. ubi centurio ait, *se multa summa civitatem istam esse consecutum.* Inde est quod B. Paulus ab exteris magistratibus judicari recusavit, Romamque mitti voluit. Hinc illa est prærogativa quam allegat, quod inique plagas sibi infligi, & corpori injuriã inferri queritur, quia Porcia lex prohibet cives Romanos virgis cædi, & capitibus supplicio affici, nisi populus in eam rem convocatus causa cognita jusfisset: quasi corpora eorum pretiosiora essent & sanctiora, quam aliorum hominum. Sed hæc latius persequi supervacuum esset, præsertim cum ex iis quæ supra diximus duo hæc satis comperta sunt: unum, iniquè fieri, quod librorum Justiniani studium, juris civilis studium vocatur, cujus nec vicesima pars nobis reliqua mansit: alterum, quod nec decima pars ejus quod restat, in nostra Gallia in usum potest deduci.

CAP. XI.

Specimen artis quam Tribonianus in compositione Pandectarum adhibuit.

Tem